

tiaque in suas partes traducta, a Bretinoro vico, qui eos recipere noluerat, & indignantes oppugnareque aggressos sustinuerat, Apenninum trajicere, atque ut cum rege se conjungeret, iter facere cœpit. Ferdinandus cum omnino Gallos intercludere, morarique non posset, suis cum duabus, quo itinere venerat, Romam rediit. 1494

At Veneti, ubi Carolum magna cum manu Padum flumen trajecisse nunciatum est, legatos ad eum mittere decreverunt, qui ei honoris gratia præsto essent: seque ad omnes casus præmunire constituerunt. Missi legati Dominicus Trivisanus, Antonius Lauredanus, regem Florentiae convenerunt, eumque postea sunt subsecuti. Illis ipsis diebus Joannes Sénogalliam obtinens, Juliani Cardinalis frater, Bajasetis regis legatum, qui Anconæ navi expositus Romam proficiscebatur, Alexandro pensionem annuam librarum auri quadringentarum Giemis nomine pendì solitam afferens, intercepit, ablataque pecunia dimisit. Carolo Senas urbem transgresso, Alexander Virginiū & Nicolaum Alfonsi exercitus duces, & Ferdinandum regis filium, qui Romæ appropinquaverant, intra mœnia recepit, ut & loca tuta hostibus præripere, & adversarios cohibere atque reprimere, & urbem ad Gallos repellendos velle communire magnopere videretur. Veruntamen paucis post diebus Carolo Romam recta veniente, Ferdinandum reliquosque duces est hortatus, uti Roma proficerentur, neque Gallos, quibus quidem jam nihil esset impeditum, expectarent. Illi, quos omnia plane deficerent, Pontifici paruerunt, Tiburque cum ea quam habebant manū se contulerunt. Alexander, qui quidem Gallos veritus de capienda fuga non semel cogitaverat, demum in Hadriani molē commeatu & tormentis communitam se recepit. Carolus omni cum exercitu pridie calendarum januarii Romam venit, pauloque post cum inter ipsum atque Alexandrum Ascanio interprete de pace sermones haberentur, Ascanius autem duras nimium & severas conditiones Alexandro imponeret, Alexander eam hominis audaciam compescendam ratus, Cardinalium 1495

con-